

tum. At si originem urbis ab Athila ducemus non erit facile annum & mensem & diem colligere ut supra fecimus de ecclesia. Etiam si astronomicis calculis utamur: ut fecisse Lucium tarucium ferunt. Qui Natalem urbis Romæ diem alioquin incognitum: reperisse rationibus astronomicis gloriatus est. Et præterea nonnulli ex eadem disciplina aliquo audatiores natalem mundi diem adducti sunt. Vt calculo subiiceret: traderentque fuisse surgente ab horizonte cancro & luna ex dimidio sole in leone: Saturno in Capricorno: Ioue in sagittario: Marte in Scorpione: uenere in libra: Mercurio in uirgine. Hæc si illi aut ratione collegerunt: aut collegisse uideri uoluerunt: Nobis ea profiteri animus non est præsertim quum annus quo Athila in Italiam descendit: incertus. Nam alii quinquagesimo supra. cccc. Alii secundo: Alii tertio tradunt: Alii uero tempus non definiunt. Non est præterea uerisimile omnes insulas & littora eodem mense atque die uno consilio primos aut lapides aut palos defixisse. Hanc igitur rem dedisse etiam causam existimo: cur maiores nostri maluerint ab ecclesiæ initio: quod certum tenebant: quam ab Athilæ quod incertum erat diem sumere natalem.

Athilis sumit' a Edm. edm.

LIBER QVARTVS

RIGINEM primam Riualti ex antiquis Venetorum monumentis excerptam primo libro descripsimus: quæ uera non apparebant repudiauius: profecuti deinde sumus cæterarum insularum & littorum initia ab externis scriptoribus celebrata. At uero adhuc nullum in iis oppidum appellari ciuitas recte potuit. Ne ipsa quidem Riualtus: tenues erant opes. Rara illis initiis domicilia: ut uicatim potius quam urbes ullas habitasse diceret. Versabantur adhuc animis incertis. Quum oculos mittebat ad campestria: Eorum desiderium natura renouabat. Inde uero metuebant interdum ne non satis tempestas Athilana in tranquillum soluisset. Audiebantur rumores ex pannoniis. Magnum cogi numerum copiarum ex reliquiis Athilanis. Metus eos in huiusmodi locis continebat potius quam locorum amor. Ceu adauctæ tempestate aues: inter arborum frondes: Quas liberatas grandinis casu. Atra ramen adhuc celi species inde mouere non sinit: paratas quum primum illuxerit auolare: sic nouus hinc instaurandi labor: & uoces incertæ: hic uero innatus agrorum amor: cogebat profugorum cætus pro tempore consilia capere. Qui Riualtum tenuerunt. Oliuolum insulam: Quam supradiximus iuxta sitam: continuo caperunt. Oliuolos autem dicta non quidem ex oliuis ibi consitis: Vt uulgo creditum: Sed quasi oligouolos idest parua terra. Castellanae deinde insulae nomen fuit Andreas siquidem dandulus scribit compertum habere qua